

dicendi, aut credendi fuerunt, tot præsertim, ac tantis argumentis prudenter persuasi. Quod verò Cyrilli Carmelitanus eo usque Baronium projectit, injuriâ id factum, neque firmo ullo argumento ab Ecclesiastico Historico abnegatum. Fert quidem Carmelitarum antiquitas & Cyrilli, & Joannis Patriarchæ, & aliorum superiorum etiam tunc Monachifimum. Nominatim verò Cyrillo Alexandrino illum adscribunt Arnoldus Villanova, Joannes Cassiodorus, Joannes Hisdunus, Thomas Norvicensis, Waldensis, Ivo, & alii, quos sequitur Paleonidorus lib. 3. Trimerici cap. 7. Quibus adde Speculum Carmeli Tractatu trium arculorum a. 1. Trithemium lib. 2. de viris illustribus Ordin. Carm. Mantuanum in Apologia, & alios; neque enim libet aliorum hinc scripta corrivare: adeat lector Thomam à Jesu, Paleonidorum, cæterosque Carmelitas Scriptores, à quibus aliqua mutuati, non pauca ultrò donamus.

1688 Postquam igitur neque stylym, neque Carmelitanorum mentionem obflare demonstravimus, quominus liber ille de Institut. Monachorum ad Caprasium conscriptus sit à Joanne Jerosolymitano; quæ nobis provincia pro exaltatione Christi ac Deiparæ in Eliana Familia vel ab Eliæ temporibus suscepta fuit, adjiciamus præterea perbreve observationem de ejusdem Joannis moribus, atque doctrina, ne testis auctoritas possit ultra ex parte nutare.

Duo sunt quæ Joannem suspectum de doctrina reddere poterint, & quorum illum aliquando insimulabat Baronius Tom. 5. anno 402. alterum quod Origenistam saperet, alterum quod licet non errori Pelagiano, ipsi tamen Pelagio indulgeret. Sed quod ad Origenem attinet, quamvis Joannem ea de re admonerit S. Epiphanius per Epistolam, graviterque arguerit S. Hieronymus Epistola 61. ad Pammachium; idem tamen Baronius concedit haud ferè agnitos Origenis errores abjecisse Joannem, catholicamque retinuisse doctrinam, quod colligit ex ipsomet S. Hieronymo Epist. 60. ad Theophilum Alexandrinum. Vide Tom. 5. Annal. anno D. 399. Idem observat anno 402. ex Epistola Anastasi Papæ ad eundem Joannem. Denique Gennadius lib. de scriptoribus Ecclesiast. & Honorius Augustodonenfis lib. item de scriptoribus cap. 30. referunt, Joannem librum scripsisse contra sui studii obtrectatores, in quo ostendit, Origenis se ingenium, non fidem secutum.

1689 Quod verò ad Pelagium spectat, tantum abest, ut Pelagianismo unquam favorit Joannes, ut potius contra illum Concilio Palæstino interfuerit; in quo Palagius à Patribus propterea est absolutus, quod Catholicum adhuc simulans, hæresim tunc anathemate damnavit; teste S. Prospero lib. contra collatorem capite 16. & lib. Pariaxariston contra Pelagianos. Neque mirum quod sancti illi Palæstini Patres à veteratore decepti sint, cum eadem vafritie circumventus sit Sozimus Pontifex, ut constat ex ejus Epistola ad Aurelium, & Episcopos Africae, cujus initium est: Postquam à nobis Cælestinus. Ergo cum eo tempore Pelagius Catholicus haberetur, mirandum non est, quod veluti Catholico Joannes nonnihil favorit. Unde S.

Joan. Jerosol. nequaquam Origenista.

Nequaquam Pelagio indulget.

Augustinus lib. de Gestis Pelagii, piè ac prudenter Palæstinos Episcopos excusat, ac nominatim Joannem, quem cap. 14. Sanctum appellat. Eodem titulo Joannem commendavit vitâ defunctum S. Sozimus Pontifex Epistola citata his verbis: Ecce Epistolam Jerosolymitani Episcopi Praylii, qui in locum quondam sancti Joannis Episcopus est ordinatus. Divus quoque Augustinus lib. 2. contra litteras Feuliani cap. 52. gloriatur se fidem, & communionem tenere Joannis Jerosolymitani. Idem Lemovicensis, qui Joannem puer vidit, sanctum vocat in continuatione ad Chronic. S. Hieron. Olympiade 296. Arcadii, & Honorii an. 13. Qui Jerosolymis ante Joannem Episcopum fuerint, Idaius, qui hac scribit, scire non potuit: hunc verò Sanctum cum sanctis Eulogio, Theophilo, & Hieronymo vidit & infantulus, & pupillus. Et infra anno 21. Olymp. 298. Jerosolymis Joanne, de quo supra, Episcopo præidente sancto, primus post Christum Dominum Martyr Stephanus revelatur.

1690 Theodoretus lib. 5. Historiæ cap. 25. & 37. Virum admirabilem prædicat Joannem S. Prosper, illustrem ob vitæ puritatem, & Prophetiæ gratiam; quem refert Paleonidorus lib. 2. Trimerici cap. 6. Nicephorus etiam lib. 14. cap. 30. Divum ac divinum nominat. Inde Joannes Molanus, & Petrus Galesinius viri eruditionis Ecclesiasticæ minime imperiti Joannem hunc Patriarcham in Sanctorum Catalogum referunt; ut constat ex ipsorum Martyrologis 12. Januarii. Necnon & Trithemius Abbas lib. 2. de Carmelitis compellat sanctissimum. Equidem ut Sanctorum Canonilimum ad Christi Vicarium pertinere agnosco; hæc antiquorum, recentiorumque testimonia pro Joanne adscribenda exstimavi; ne quispiam de Patriarcha à magnis viris, atque præsertim summo Pontifice, commendato facile præjudicaret. Concludimus ergo & Joannem idoneum omnino testem esse, & librum de Institutione Monachorum ipsi meritò adscribi; atque antiquissimam Carmelitani Ordinis gloriam, & in ea Christi ac Deiparæ purè conceptæ exaltationem gloriosissimam satis superque firmari ex iis, quæ Præsul Joannes scribit, & nos supra statuimus.

SECTIO XXXVII.

De Augustiniana, & Benedicte, aliisque Monachalibus Religiosorum Familiis per Libanum, Amanam & Sanir, præsignatis; atque in illis de Christi, ac Deiparæ exaltatione gloriosa.

§. I.

Augustiniana Ordo commendatur.

1691 IN primis sacratissimus ille Monachorum Ordo occurrit, præclarissimum certè Ecclesiæ lumen, cujus auctorem, & coriphæum S. Augustinum fuisse, indubium cordatis viris est, & omnino manifestum videtur esse ex multis summorum Pontificum Bullis, atque scripturarum monumentis. Augustinus enim statim à suæ conversionis exordio, Monasticæ vitæ professor extitit Mediolani, deinde in Africam reversus, priusquam

Elogia sancti Joannis 70. S. Sozimus Pontifex.

Idaius.

Theodor. S. Prosper.

Nicephorus.

Trithemi.

quàm Presbyter fieret, in proprio Monasterio Monachos congregavit, instruxitque optimâ Regulâ Episcopali auctoritate comprobata, anno à Christo nato 391. Inde sacer hic Ordo, superflite adhuc Augustino, mirè fuit in Africa, deinde in tota Europa, usque ad tempora Innocentii IV. propagatus, sub nomine Eremitarum S. Augustini, quo etiam nunc gaudet, gaudebitque, Deo annuente, usque ad mundi exitum. Nam eadem Augustiniana Familia, quæ antea erat, permansit quidem post Alexandri IV. reformationem, etsi in multis fuerit immutata. Quæ de re multa videre licet apud nostrum Suarium Tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 8. & 9. & Joannem Marquez Augustinianum in Opere inscripto, Origo fratrum Eremitarum S. Augustini, Hieronymum Roman. & alios ex eadem Familia Scriptores.

1692 Hinc facile est inferre, Augustinianum Ordinem, at entâ suæ institutionis origine, præstare antiquitate vetustissimâ S. Benedicti Familiam: cum hæc anno Domini 500. coeperit, ille verò anno 391. Subinde jam, recto antiquitatis ordine, religiosæ Augustini Familiam Libanum montem adaptamus, in qua, tanquam Cedrus in Libano, exaltati dicuntur Christus ac Deipara. Et quidem satis concinnè; quippe in mira illius montis sublimitate, submississima hujus Religiosæ Familiam vivendi ratio exprimitur; sic enim eam appellavit Innocentius IV. in quadam Bulla; vitam præexcellsam. In ipsius autem Libani interpretatione, mirabilis in Deum pietas, & contemplationis studium innuitur: Libani enim etymon est thurifer à thure, quod est pietatis & orationis solum. Unde in sua Regula suos Augustinus monet: Orationi instate, horis & temporibus constitutis. Quod si Libanum interpre. eris candidum, album, albedinem, candorem; ostendit internum animi candorem, & puritatis albedinem, qua sanctissimi illi Eremitæ erant conspicui. Complutenibus Libani etymon est cordis filiatio. In hac cordis filiatione Jesus & Maria exaltantur in Augustiniana nempe Religione, Augustiniani cordis legitima sobole. Augustini enim cor ignis dilectionis, divina sagittis transverberatum tantam eructavit Familiam, quæ ipsum pro corde habet, à quo tam copiosa, tamque pellucida totius sapientiæ, doctrinæ, & sanctitatis fluentia emanant, & in universam Christi Ecclesiam ubertim effluunt, non absque ingenti rei Christianæ incremento.

1693 Ex Augustino originem duxerunt, & ex illius corde filiationem multæ aliæ Religiosorum Familiam, de quibus Lælius Zechius lib. de Republica Christiana, ubi de Regularibus, cap. 2. Nempe Calagurritani, Heremitani Servitæ, Jesuati, Brigidiani, S. Hieronymi Hospites, S. Antonii, Cruciferi, Milites Religiosis Malthæ, Canonici Regulares, Canonici S. Salvatoris, & alia.

His adnecte Ordinem Eremitarum S. Hieronymi ab Augustini regula derivatum, unum quidem ex præcipuis Monachalibus, contemplationis quietè maxime indulgentem, divino cultui, choro, & Psalmodiæ. De quo noster Suarez Tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 5. Emanuel Rodriguez Tom. 1. Quæstio. Regul. q. 3. a. 10. Josephus de Signenza in vita S. Hieronymi, & Petrus de la

Vega in Chronico fratrum Hieronymitani Ordinis. Et licet nonnulli existant, hunc sacratissimum Ordinem S. Hieronymi nuncupari, quia hic S. Doctor primis hujus Religionis Eremitis apparuit in eo habitu, quem nunc ipsi gestant; quia ex nulla Historia fide digna constat, probabilius judicat noster Suarius, primis illos fundatores ex peculiari in D. Hieronymum affectu, & pietate, illum in Patronum accepisse.

1694 In hac ergo, tam prælustri, tamque numerosa S. Augustini Religiosa Familia, Incarnata Sapia, ejusque magna Mater exaltari dicuntur tanquam Cedrus in Libano. Utique per augmentationem divini cultus, ut Lyranus explicat. Vel etiam, ut in enodatione textus notabamus, exaltantur non in se ipsis, sed in suis cultoribus, in quibus, dum eos exaltant, exaltantur; uti Radulphus Radulp. Ardens exponere. Huc spectant illa Cantorum verba cap. 5. 15. ubi de Christo est sermo tam in se, quam in corpore ejus, quod est Ecclesia electorum. Species ejus ut Libani, electus ut Cedri. Ut enim S. Nyssenius Hom. 14. Ait sponsa, unam ipsius speciem esse infinitas illas Cedros, quibus undique Libanus cinctus sit. Quibus verbis significat nihil humile, neque abjectum ad vilitatem corporis illius conferre, nisi sublime sit instar Cedri, ac vertice suo sursum tendat. Certè si Christum consideres in Augustiniana Familia, species ejus apparet, qualis sublimis Libani, qualisque altitudo Cedrorum ejusdem montis; ob eximias sapientiæ, & sanctitatis dotes vertice suo sursum tendentes. Quippe in Augustinum, ejusque familiam rectè cadit illud Ecclesiastici elogium de Simone Pontifice: Quasi plantatio Cedri (Complutenfes, Cedrorum) in monte Libano, sic circa illum steterunt. Procerâ Cedrus in Libano Augustinus, circum se plantas Cedrorum minorum habet, id est, numerosam familiam, quibus ornatur, & decoratur; & per quas Christus sicut Cedrus exaltatur. Audi Archiepiscopum Valentium S. Thomam à Villanova, Concione 1. in laudem S. Augustini. Augustinus non unius, vel alterius, sed ferè omnium Religiosorum fundator extitit, &c. O gloriosum stipitem, unde surrexit tam multa sylva ramorum! O speciosam radicem, à qua tam numerosa progenies pululavit! Meritò profectò de illo in Epistola canitur: & quasi plantatio Cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt, & omnes filii Aaron in gloria sua. Preme Ezechielis vaticinium c. 17. v. 22.

1695 Si verò seorsim de exaltatione Deiparæ gloriosa in hac Religiosa Augustini Familia loquamur, nota utique est, & decantatissima hujus sacratissimi Ordinis veneratio & cultus erga Virginem Matrem, purissimamque ejusdem Virginis Conceptionem; atque hoc quasi hæreditarium studium ab Augustino acceptum, qui Marianæ gloriæ, & splendoris assertor, & vindex semper & ubique extitit, zelo obarmatus summo.

Cum autem Præmonstratensium Ordo ad D. Augustini Familiam spectet, ut qui ejus regulam profiteatur, uti noster Suarius ostendit Tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 5. num. 6. hic observo, Præmonstratensium institutum ab immunitatis Virgineæ religionis auspiciò ceptum; revelatione confirmatum.

Christi & Deiparæ exaltatio in Augustiniano Graimæ.

Cant. 5. 15.

Nyssen.

Ecclesiæ.

S. Thomæ Villanova.

Augustiniana familia pietas in Deiparam.

Præmonstratensium Religio ad Augustiniana nam speculantis cultus in Mariana conceptio.

P. Suarez. Marquez.

Quanta Augustiniana Religio antiquitas.

Per montem Libanum designata.

Multa Religiosa familia ex Augustiniana.

Religio Eremitarum S. Hieronymi.

Suarez. Emanuel. Roder. Siguenza. Vega.



Etenim à Præmonstrato Ordini nomen factum. Neque nominationis originem disputo; aliam Franciscus ordiatur Aluteus lib. 2. Historiæ Luciacensis familiæ cap. 19. Antiquiorem alium putet S. Norberti discipulus, quisquis ille fuerit, qui vitam conscripsit cap. 15. cui suffragatur Joan. Picardus in Notis ad S. Bernardi Epistolam 252. Equidem minime illam rejecerim, quam comminiscitur Ferreolus Locrius lib. 3. de Maria Augusta cap. 11. nempe à Præmonstrato per Angelum Ordinis habitu derivatam appellationem. Sic Præmonstratensi Breviario præfixum canit Poëma.

Breviari. Præmons.

Cum Pater ad superos animum Norbertus haberet,

Et precibus peteret, quo se velaret amictu, Angelus accelerat celo demissus ab alto, Induit & tunica nivea candore micante.

Constitut. Præmons.

Sed & id ex B. Virginis præscripto, cui religiosissimus Ordo addicebatur, disertè docent Præmonstratenses Constitutiones inde exorsæ. In nomine sanctissime, & individue Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & ad laudem & gloriam gloriosissime Virg. Mariæ, cujus sanctis auspiciis, & præmonstratione noster Ordo sub Habitu candido sumptisse creditur originem, &c. Rectè, sed proprius ad rem.

S. Norbt.

1696 Philippus Bernalus Præmonstratensis lib. de Concept. B. V. Mariæ Discursu 3. asserit, B. Virginem S. Norberto Fundatori candidum demonstrasse amictum, quod esse puritatis Marianæ symbolum vellet, eam ut per universum ille orbem coleret, ac prædicaret. Hoc Norbertum Bernalus memorat sanctè præstitisse, qui sacro Ordinis officio à semetipso condito, dilucida immunitatis Marianæ testimonia intexit; videlicet: Ave Virgo, Spiritu sancto præservante, quæ de tanto Parentis primipeccato triumphasti innocia, &c. Hoc idem Norberti filios, qui & Augustini, in dies promovisse, docet Bernalus, qui illustrem jam inde appellationem illam deducant: Ordo candidus Conceptionis B. Mariæ Domine nostræ; qua præ cæteris Religiosis Ordinibus fuerint indigati, ut cõstat ex Ordinis Chronico condito à Bernardo Leonio. Vide Lucam Waddingum in legatione Philippica ad Rom. Pontif. circa Conceptionis definitionem Sect. 3. Oratione 10. ad Paulum V. §. 2. ubi scribit, circa Anselmi fermè tempora, factam esse revelationem S. Norberto Præmonstratensium fundatori, ex qua illius Religionis cepit initium. Ei namque ipsa Deigenitrix apparuit, & hujus mysterii cultum, & venerationem sollicitè commendavit. Vestem insuper candidam sancto Viro donavit, qua & ipsi, & sub eo militaturi fratres uterentur, in testimonium Originalis Mariæ innocentiae, ut & vita, & verbo, & habitu, ejus conceptionem sine macula fuisse profiterentur. Locupletem habent apud se Præmonstratenses hujus revelationis auctoritatem & firmam traditionem à Norberto, & ejus sociis ad nostram ætatem incessanter deductam. Hac tenus Lucas Waddingus.

Wadding.

Hinc apparet, quo jure dicatur Deipara sicut Cedrus exaltata in Libano, id est, in candido Præmonstratensium Ordine, candidè Marianæ Conceptionis puritatem demonstrante. Libanus enim Hebræis significat candidum, seu candorem; album, seu albedinem.

1697 In Servitarum Ordine, qui Augustini Regula gaudet, exaltata Deipara est: nam se totos hujus Virginis numini, ac nomini dicatos profiterentur. Sic enim fertur; Sodalitatem quamdam fuisse in Deiparæ honorem congregatam, qui cum ipso die illius assumptioni sacro preces & laudes ei perfolverent, admonitos cælesti voce sæculum illicò reliquisse, seque ad unius Dei obsequium contulisse, retento semper B. Virginis famulatu; ideo enim Servitas appellatos, quasi ipsius fervos. Quin etiam post annos septem, eadem Dei Mater nocte quadam singulis separatim per quietem apparuisse dicitur, cum magno & illustri Angelorum exercitu, quæ unâ manu pullam tunicam, alterâ librum apertum teneret, jubens eos deinceps eâ veste uti, & illâ regulâ, quam S. Augustini esse ajebat. Ita refert noster Hieronymus Plati lib. 1. de Bono status Religiosi cap. 34. Qui ibidem loquens de Ordine S. Hieronymi ad Augustini Familiam spectante, ita subdit: Cum recens esset in Hispania, nec pluribus adhuc, quàm ducibus, aut tribus, iisque parvis constaret monasteriis, aliquot fratres eam paucitatem molestè ferentes, ad alium Ordinem transire decreverant. Jamque abibant, cum in ipsa via magna Dei Mater visibili specie eis occurrit, monens & imperans, ut in suscepto instituto permanerent; brevi enim fore, ut id valdè propagatum viderent; se verò Ordinem illum totum in suum recipere famulatum. Quæ cum dixisset, non solùm illi in suo proposito confirmati sunt, sed ad hunc ipsum famulatum Virginis contestandum, tota ea familia reliquis vestibus albam tunicam adjunxisse dicitur, quam adhuc retinent. Tantum Plati. Dixerim candidam illam tunicam assumptam pro Deiparæ candidissima & mundissima Conceptione contestanda.

Ordo Servitarum sub Augustini regula, studiosissima erga Deiparæ Conceptionem.

P. Platus.

Ordo S. Hieron.

§. II.

De sanctissima Familia Benedictina.

1698 O ccurrit deinde sanctissima S. Benedicti Familia, & Monachismus, tum amplitudine sua, tum antiquitate venerandus, qui cepit anno Domini 500. vel circiter. De quo noster Suarius Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 2. & multi alii multa in tanti Ordinis commendationem, quo totus Occidens, tanquam fulgentissimo sole est illuminatus. Hanc Monachalem Familiam per montem Amanam, amœnam Libani montis partem, designari reor. Amanam quippe sonat fidem, fœdus, pactum, veritatem, credulitatem, nutricem: à verbo aman, id est, credere, fidelem esse, & stabilem; unde omen, id est, alumnus, nutritus, vel nutritus. Quod ad fœdus illud, & pactum cum Deo initum à Benedictinis Religiosis per substantialia Religionis vota spectare dixerim. Ad fidem quoque, veritatem, & credulitatem, qua firmi semper steterunt, & in æternum stabunt, spectat facta illa S. Benedicto revelatio, cujus meminit Arnoldus Ubion lib. 1. Ligni vitæ cap. 1. circa finem. Quod Ordo hic usque ad finem mundi sit duraturus. Quod in ejus sine pro Ecclesia Romana stabit fideliter, & plurimos confortabit ad fidem. Quod nullus in eo morietur extra statum salutis. Si verò Amanam.

illius antiquitas.

Suarez.

Per Amanam montem designata.

Arnold. Ubion.

Amana etymon sit nutritus, seu maris; sanè in Benedictina Familia Benedictus ipse nutritus illius fuit, qui eam quidem suscepit illa prorsus indulgentia, ac cura, qua nutritus clientulum delicatum, ac tenerum suæ commissum tutelæ ac fidei; eam consilio regens, humeris gestans, & alimento doctrinæ & sanctitatis pascens; unde ipsa ad incredibilem molem progressa est, & spatiosa mirabiliter, ita ut nutritus totius Ecclesiæ, Religiosæ præsertim extet: nam ex Benedicti Familia multæ aliæ Religiosæ ortæ sunt, originem trahunt, & incrementum, ut Cluniacensis, Cisterciensis, Chamaldulensis, Vallis umbrosæ, Humiliatorum, Cælestinorum, Guilielmitarum, seu Montis Virginis, Sylvestrinorum, & montis Oliveti.

Multa Religiones ex Benedicti Familia obortæ.

In Benedictina familia exaltatus Christus ut Cedrus.

Isai. 22. 23.

1699 In hac igitur tam varia, tam ampla Benedicti Familia exaltatus dicitur Christus Dominus, sicut Cedrus in monte Amanam, Libani parte excelsa; Amanam enim ex Honorii mente sonat excelsus. Quò refero illud Isaiæ vaticinium capite 22. vers. 23. ubi de Christo D. sermo est. Figam illum paxillum in loco fideli; & erit in solum gloria domui patris ejus & suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, à vasis craterarum, usque ad omne vas musicorum. Scio voce Hebræo jahbed; pro qua Vulgatus paxillum reddit, clavum, sive ferreum, sive ligneum significari, Hispanè estaca, & Hebræicè non diminutivum nomen. Equidem non multum fallar, si de ligno explicem, quod terræ infigatur ut planta, quæ ab atrice solo erumpat in arborem; nos dicimus, plantar de estaca. Favet contextus ipse; nam pro vasorum diversa genera, ex Hebræo communiter vertitur, propagines, gemmina: quæ ex plantato eo ligno numerosè egrediuntur, & suspendantur speciosè. Rursum, hoc lignum figendum, dicitur in loco fideli, id est, tuto ac firmo: fidelem enim vocamus (ait ibi noster Sanctus) qui rem creditam servat, ac reddit, cum repetitur; qualis dicitur ager, qui quod accipit ab agricola, semen cum ulura restituit. Hebræicè pro fideli, est neaman, ab aman, unde Amanam. Unde mihi perinde est, in loco fideli, firmo, stabili, atque in monte mystico Amanam; Religiosa nempe, & excelsa Benedictini Familia; in qua Christus Dominus per fidem, fœdus, pactum, omnem pietatem & cultum fixus est, atque plantatus tanquam nobile lignum ibidem gloriosissime exaltatum; ut verba, quæ subdit Vates, perspicuè ostendant, & Benedictini Ordinis gloriam satis innuunt, à Christo in illo exaltato pendere. Quod facile cuique erit expendere, qui cum verbis Isaiæ magna componat, quæ de Benedictino Ordine prædicantur, & Tritheimus enarrat libro 1. capite 2. & sequentibus. Nimirum ad supremum Pontificatus solium evectos ex Benedicti Familia decem & octo summos Pontifices, alii existimant, viginti quatuor assumptos, Cardinales plusquam ducentos; Patriarchas, Episcopos, Archiepiscopos penè innumeros; viros sapientiæ & sanctitatis illustrissimos propemodum infinitos; in Sanctorum catalogum ab Ecclesia relatos quinquaginta quinque millia.

1700 Huc etiam spectant illa Ezechielis verba capite 17. 22. Et sumam ego de medul-

la Cedri sublimis, & ponam, de vertice ramorum ejus tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum, & eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnam. Hæc de Christo solummodo esse intelligenda, ex Græcis putant Origenes, Polychronius, Theodoretus, & ex Latinis S. Hieronymus, Lyra, Dionysius, Maldonatus. Item Chaldaeus, & Galatinus libro 3. de Arcanis capite 22. qui R. Salomonem citat. Etenim, Cedrus medullata, æternus Pater est, vel Regia Davidis stirps, ex qua Christus secundum carnem genus ducit, & assumptus fuit tanquam germen, vel surculus ex Cedro diffractus; quem Vates tenerum vocat ad insinuandam immensam ejus pietatem, ut Galatinus explicat. Hoc germen germina producturum, & fructus, ac tandem in proceram Cedrum grandibus diffusam ramis asurrecturum, subrexit Propheta. Sed expende, ubi tenet hic surculus plantandus, ut in proceram adolescat Cedrum. Utique super montem excelsum; dixerim, super Amanam montem, qui sonat excelsus, ut Honorio placet: quod typicè mihi est, in Benedictina Familia per montem Amanam designata: in qua exaltatus Christus Dominus est sicut Cedrus, & videmus sublimiori intelligentià omnia, quæ Vates commendat, luculenter expleta: quod scilicet surculus ille tener erumpet in germina, & fructificabit abundè, & erit in Cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit. Ubi volucres cæli sunt Benedictini Religiosi in ea arbore morantes, & nidificantes: Tales enim sunt fidei alumni (ait ibi Theodoretus) ad superiora mentem transfusentes, & celestia cogitantes, & sub umbra maxima Cedri sedentes.

Ezechielis 17. 22.

Theodor.

S. Augusti.

Exortus ex Benedictina Religione multi Ordines.

§. III.